



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

Capvt XXX. Cur Deus, matrimoniorum author & custos, tam multos maritos, aut tam multas vxores malas esse permittat? & quænam sint contra malas mulieres remedia?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

tamen Cælius & alij à priscis Christianis sponsalem annulam arrhæ nomine datum signo fidei insculptum, hoc est, iugatum inter se manuum dextrarum. Hoc enim est hieroglyphum foederis, & concordiae mutuae, apud omnes pœnè gentes atque ex ea coniunctione numerus quadratus efficitur, hoc est, denarius, qui à Pythagora dicebatur prima quadratura, hoc est, perfecta consensio animorum.

## C A P V T XXX.

*Cur Deus matrimoniorum author & custos, tam multos ritos, aut tam multas uxores malas esse permittat? Quænam sint contra malas mulieres remedia?*

I.  
propter bona sint, ac ab ipso naturæ authore & co-  
ciliuntur tam prouidè, & tam misericordè conseruen-  
tur in eo tot mala permittuntur esse admixta? quo istud judi-  
cio facit Deus? Siquidem ea mala, neque ipse laudator mat-  
rimonij Paulus Apostolus dissimulans scripsit: *Alligatus es uxori  
noli querere solutionem. Solitus es ab uxore, noli querere uxori.*

I. Cor. 7. 27.

Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et, si nupferit virgo, me  
peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Con-  
tribulationem? Ad hanc quæstionem generalem, generalis  
primum danda est responsio. Postea ad peculiaria mala, etiam  
peculiariter atque ordine respondebitur.

II.  
In primis igitur, quando vniuersim quæritur, cur mala  
statui bono admisceantur, vniuersim responderetur, id fieri  
eadem ob caussas, ob quas homines cuncti, & omnis mortalium  
status mala multa cogitare sustinere. Cur enim à tribulatione  
coniuges exempti essent, si non sunt exempti Religiosi, & Deo  
ex toto addicti? 2. Sicut mala arbor malos fert fructus, ita  
peccatum, quo nihil est peius, mala Mondo inuexit. Peccatum  
enim Adæ dictum est: *Quia audisti vocem uxoris tuae, & cometi-  
sti de ligno, ex quo precepere am tibi, ne comederes, maledicta terra te  
opere tuo: in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vita tua. Sp-*

Gen. 3. 17.

*bonitas*

nas & tribulos germinabit tibi. Si tribulos, & tribulationem.  
 Propterea, sicut per unum hominem, peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt; ita pariter pertransierunt tribulationes. 3. Mare, nisi falsum esset, computresceret; fæteretque, nisi fluctibus ac procellis agitaretur. Ita coniugia nimis quieta, facile degenerarent in corruptionem, si non subinde malo aliquo, velut sale, aspergerentur. Interrupta tristitia suis luctibusque voluptas memoriam renouat voluptatis, in cælo, nunquam interrumpenda. Nec terrena ista naufragemus, si nulla in eis inesset amaritudo. 4. Nemo, sine cruce, & patientia, cælo est dignus. Si enim oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam, seruum Christi fortasse pati non oportebit? Si viride lignum iniectum est in fornacem tribulationis, aridum cur eodem non conijiceretur? Quamobrem ipse Seruator ait: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Matth. 10. 38. Recte autem ait, *crucem suam;* quia quisque habet, in quounque statu, *crucem suam;* alius hanc, alius illam. Quidam, quia uxorem non habent; quidam, quia habent, cruciantur. Utique bene faciunt, si crucem suam seruant. Hoc enim suaderet Apostolus dicens: *Alligatus ex uxori, velut cruci? noli querere solutionem.* Quia illa crux tibi data est, ut te ad cælum extollat. *Solutus es ab uxore, & hoc te cruciat? noli querere uxorem, ne magis crucieris.* 5.. Medea venefica Iasonem deperibat; cui Euripides in cùm nuberet Glauca regis Creontis filia, Zelotypa illa saga, ipso nuptiarum die, coronam misit auream, ut ex Euripide dicimus. Glauca nescia, quid dona hostium possent, in ea corona triumphatura, capit illam imposuit. Quo facto, illico exarsit flamma, ex qua sponsa obiit. Inuidet, jam ab initio Mundi, humanæ naturæ eam dignitatem diabolus, quæ in matrimonij illius, Christi cum Ecclesia coniunctionem significantibus, eminet. Quare nullum non lapidem mouet, ut matrimonia disturbet: & sape ibi, ubi videtur porrigerere coronam, suscitatflammam. Hinc tot videmus coniuges ira, libidine adultera, odio, vindicandi cupiditate inflammatos. Nec raro, qui se arbitratur in mulierem auream incidisse, experitur, eam,

plumbeam iram habere. Denique pauci sunt, qui vxores suā  
non vocent crucē suas.

## III.

Porrò vxorem esse crucem, & quidem malam maximam,  
crucem, non solum Cato testatus est, cùm mulierem esse malam  
necessarium, pronunciaret; sed diuina etiam litterae assuerunt.

Eccles. 25. 17.  
& vers. 22.

Omnis malitia nequitia mulieris, inquiunt: itemque: Non est apud nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris. Commorari leoni & draconis placebit, quam habitare cum mulieris nequam. Denique ut verè crucem agnoscas: Plaga cordis, mulier nequam. Plura eiusmodi repeti hīc possent ex ijs, quas p̄à commemo rauimus. Sufficit, à loquacitate, & garruitate seminarum mariti aures obtundi; à superbia & luxu vestrum marsupia, à bibacitate dolia vacuari. Et

Ibid. v. 31.

*Sunt, qua mille dolis expagnant dolia: si vir  
Non bibit, vxor erit tanto stientior illo.*

Fuit vir, qui cùm ebrios domum rediret, vxorem, & liberos, & ancillas, tandem & canem ex ædibus expelleret; &, ne quid quam viuum domi maneret; ad extreum & felem è fenestra in plateas proiecit; vt solus dominaretur, in suis laribus. Fuit femina quæ cum vicina quotidie potitabat ad ebrietatem; accusata magistratus vini poratione interdixit. Annuit illa, & obsecundaturam dixit; dummodo sibi tunc fas esset merum bibere, quando aliquid venderet, aut emeret. Inter vinum enim, dicebat, venditiones & emtiones esse meliores. Concessit hoc Magistratus. Habuit hæc fœmina domi capram. Eam alternis diebus vicinæ vendidit; & alternis rursum emit ab eadem. Sic quotidie, vt prius, dum contractum haustu faciat, potitabat. Nempe Æthiopem, aut laterem facilius effluare, quam emendare mulierem. Septem pelles habet: si synanthrax inuenies adhuc duriorem. Ultima callum erit.

## IV.

Existit ergo hinc prima peculiaris quæstio, cur, in bono statu matrimonij, mulieres malas, aut viros minimè bonos Deum esse finat? Aio 1. Deum suam homini non admere libertatem. Mala sunt mulieres, quia mala esse volunt. Si vellent, bons essent; sicut & alia quædam bona sunt. Quod & de viris respondeo. Sua cuique nimirum cupiditas Deus est. Sic & nu-

mea

men furum Lauerna, militum Bellona, fratum Discordia, virorum Vinolentia est, Furia faminarum. Qui enim Deum esse non credunt, Deum, quem volunt faciunt. Aio 2. Mulieres malas esse velle, ut viris, malitia sua, dominantur, quia virtute sunt ac potestate naturae inferiores. Quod igitur manu non possunt, lingua consequuntur. Aio 3. Viros ipsos dignos esse malis vxoribus, qui eas dominari, & malas esse, finunt: quia eorum verba metuunt, tanquam louem tonantem. Si viri essent, ipsi dominarentur; ipsi domi suae imperarent. Nunc quia ipsi effeminati sunt, & toti vxorij; meritò feminæ, ut vel sic vir sit in domo, virilem sumunt animum, & jus dicunt, dum maritus sedet ad colum. Apud Sacas si quis pueram uxorem ducere cupit, *Elian. I. 12:*  
*pugnacum ea suscipit: & si illa superior sit, captiuū abducit, atq; im-* *perium in eum tenet: si inferior, regitur ab ipso.* Aio 4. malas mulieres bonis viris prodesse; sic enim eos exercent atque occasionem dant virtutis exercenda; quemadmodum vxor Iobo dedid, & Socrati Xantipe. Aio 5. Malas vxores, & malos maritos justissimè coniungi, ne poena & culpa separentur. Neque vero æquissimus iudex solis fornicarijs, adulteris, mollibus, alijsque vitam adolescentia sua impurissimè emensis, in peccati poenam, dat malas vxores; sed etiam illis; qui matrimonio abutuntur, & in eo Dominum quotidie gravissimis sceleribus offendunt. Siquidem, ut sanctissimè dixit ille: *Etiam è proprio dolio bibens potest inebriari.* Quid ergo mirum, si vnde quis peccat, inde puniatur? Cur queruntur viri mali, quod habeant malas vxores? tales habent, quales ipsi sunt; & quales etiam ipsi ab vxoribus habentur. Qui lupus est, cur coniugem indignatur esse lupam? Si sunt, qui delinquunt, cur desint, qui castigent? Ita vel minus peccant, dum semper habent carnificem suum ad latus; vel minus excusantur, si etiam hunc contemnunt vitiorum dehortatorem. Ac sanè plaga est maxima, & continua mala vxor; durat enim per totam vitam. Quam ob caussam Poëta quidam, cum in theatro, varias ab Angelo crucis vanales exposuisset, quarum in tergo scriptum erat, quid unaquaque esset; introduxit juuenem admodum animosum, qui obuijs ylnis, ad crucem maximam aduolauit,

vtroque eam brachio audissimè amplexans; cùm alij suas cruces minores timidè, & propè trepida manu tangerent, ac tenebrent. Tandem, cùm quisque jussus esset, versis truncis, & ostensis titulis explorare, quam sibi crucem elegisset, aliis, in cruce cretata inuenit hunc titulum: NOVERCA: alius, INOPIA: alius, ÆGRITVDO: alius, INTVRIA: alius alia infasti omnis nomina. Itum est denique, vt anquireretur, quidnam esset crux maxima? Et maxima ibi erat spectatorum auditas scientia, quidnam elegisset, qui crucem maximam, tam heroico facinore, elegerat. Rotauit ergo illam in circulum, & ecce, in auersa parte, nomen crucis maximæ legebatur: Vxor. Hic titulo ingenti risu spectatores applauserunt. Vel ipso igitur Mundo teste, magnum malum dat Deus, cui malam vxorem dat: neque eos potest aptius plectere, quam talibus feminis, qui cum feminis peccauerunt.

## V.

Eccli. 26.1. 23.

Quemadmodum è diuerso, magnum virtutis præmium est bonus maritus, aut vxor sancte morata. Nam mulieris beatus vir. Siquidem mulier fortis oblectat virum, & annos vii illius in pace implebit. Pars bona mulier bona: in parte bona timet Deum dubitur viro, profactis bonis. Quo loco attentè cogitandum est, quænam vxor annos vita viri in pace compleat! quales haud sanè nullas vidimus, quæ nullo vñquam verbo aspero virum læserunt, quam diu cùm illo cohabitârunt. Nimirum mulier fortis oblectat virum; debet enim esse fortis, & non nimis delicata, quæ ad quemuis viri nærum insaniat, sed quæ aliquid etiam glutire, aliquid deuorare, aliquid concuere possit. Tum enim annos vita viri in pace implebit, quando non statim in fermento erit; neque illico in pugnos & pugnas ebulliet; aut, felis, immo tigridis instar, vngues exeret, vel pro clavâ claves arripiet; sed offensâ silere; &, pro truci vultu, oculos comes reddere, ac ad rugas coniugis iracundi poterit renidere. Magnum hoc Dei donum est, siue vir talis obtinet, siue vxor. Gratia mulieris sedula, inquit Siracides, delebat sanguinem suum, & ossa illius impinguabit: disciplina illius datum Dei gratia super gratiam mulier sancta & pudorata. Sicut sol orientis in altissimis Dei, sic mulieris bona species in ornamentum damus eius.

Eccli. 26. 16.

## VI.

Ex quibus testimonij videmus, nequaquam nullas esse feminas bonas, tametsi Tullius dixerit: *Femina nulla bona est. Salomon sapientior Cicerone dixit: mulierem fortem quis inueniet? non tamen dixit, nullā omnino inueniri posse, eo quidem loco, alibi autem eō clarius ait: Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inueni. Esto non inuenierit ille, inuenit tamen alius.* Quanquam planè oportet, valde raram auem esse feminam bonam aut fortem, si Salomon nullam inuenit, cui fuerunt uxores quasi regina septingenta, & concubina trecenta. Eiusmodi ergo loquendi modis multitudo, non vniuersalitas malarum mulierum significatur. Verum enim est, in sexu fragili, rariū fortem inueniri, si qua igitur fortis est, eam ipsa raritas facit commendatiorem. Itaque qui talem natus est, meritò habet chariorem, Num inique gratias meminit: magno enim beneficio affectus est, & quia ferā pessimā caret, & omni malo peiore malo; & quia talem sortitus est, quae non sit dominus tempestas: sed que possit tempestatem omnem vultu suo patientiaque serenare, que, vt Comicus loquitur, *ingenio est bono, cui male faciundi, cum est potestas, que, ne faciat, id temperat.* Denique, vt Menander, pronunciat,

Prom. 31. 10.

Eccl. 7. 29.

3. Reg. 11. 3.

*Virtutis est penu generosa femina.*Et secundūm Hippotheontē: *Possessio bona viro est vxor beneuola.**Non splendor auri, non vis regni, non opūm**Tantas voluptates fert luxus aut decus,**Quantas viri boni atq; femina pie**Mens justa semper & voluntas optima.*

Quod si igitur & bonæ sunt feminæ, & malæ, atque ex utrisque magnæ nascuntur utilitates, quis Deum accuseret, qui hanc, in mundo, sinit esse tam vtilem varietatem? Sicut nox & dies, hiems & aestas; dulce & amarum; frigidum & calidum; graue & leue; ignis & aqua, & quæ alia sibi aduersantur, necessaria sunt mundo; ita necesse est, vt neq; homines omnes vnius sint ingenij: alioqui quis exerceretur, si nemo esset, qui exerceret? Non tantum ficedulas, sed & vppas natura produxit. Prolunt viperæ, cur non prodeßent malæ feminæ? Multi certè lircones plus abligurirent, nisi timerent matrem familias, domi

## VII.

366 Cap. XXX. Cur mali coniuges esse permittantur?  
cum baculo, excubantem. Deniq; vt contraria contrarijs com-  
mendentar, in bona uxore tanto maior lans, quanto in mala plu-  
cula est.

Sophocl. in  
Phœbea.

Certè malum nullum uxore est maius mala:  
Sicut bonum nullum uxore est maius bona:  
Vtrumque narrat hoc expertus optimè,  
ait Sophocles. Quare, sicut in ceteris rebus, ita & in coniugib; con-  
traria inueniuntur. Vnde, pro communi more Mundi, rectè Menander ait:

Haud nuptijs est omnibus felicitas:  
Comes omnibus nec rursus infelicitas:  
Sed prout uxor contigit bona, aut mala.

VIII.

Varro in Sa-  
tyra Menip-  
pea.

Laërt. in vit.  
Socr. Gell. I. i.  
c. 17.

IX.

Illud quæstionem habet, possitne huic malo remedium in-  
ueniri, aut ex uxore mala bona fieri? Varijs id modis por-  
fieri. *Electio bona; Exemplo bono; Verberibus bonis; bona deniq;*  
*Patientia.* Nam vt retrogrado ordine hæc retraxam, vel uxor  
mala etiam bona est ad patientiæ coronam. Hoc ultimum re-  
medium est, qui male elegit, qui malus ipse exemplum bonum  
esse non potest, qui neque blanditijs, neque sauitijs potest do-  
mare sauam coniugem, assuecat eam tolerare, &, pro cilio,  
illam ferat. Hoc Varro monuit, *Vitium*, inquiens, *uxorus au-*  
*tollendum, aut ferendū est.* Qui tollit vitium, uxorem commadi-  
rem prestat; qui fert, se meliorem facit. Huc facit illud Pauli:  
*Alter alterius onera portare, sicut Christus onera & peccata Ec-*  
*clesiæ sua sponsæ, quam sanguine suo expiavit. Laudabile exem-*  
*plum Laërtius & Gellius refert de Socrate, quo scribente, uxor*  
mensam euertit; &, ad iurgia grauter & prudenter tacente,  
aque poculum in caput eius infudit. Quid ille? *Haud igno-*  
*bam, inquit, post tonitrua, pluviā secuturam.* Ad quem Alci-  
biades: *Quomodo, inquit, perfers hanc rixosam uxorem, nec dama-*  
*cijcis?* Qui onis vesci vult, ait Socrates, gloticantium gallinarn  
strepitus offendì non debet. Evidem sic domi patientiam disco, &  
foris melius exercere queam.

Istud quoque in medicina locum nonnulli adhibent, vt  
juxta illud *Nux, asinus, mulier, &c.* in epistolis obscurorum  
virorum, suadeant mulieres malas esse baculandas. Alij aiunt  
conio

corio bouino domandas, ac postea eiusdem comminatione ad-jurandas. Durum est hoc remedium, & S. Paulo aduersum, di-centi: *Viri diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas.* Non est dilectionis argumentum *percuti*, nisi apud gentes barbaras. Apud Scythes, & Tartaros, quod sunt forti militi vulnerum cicatrices, aduerso vultu & pectore accepta; & quod apud nos sunt fæminis gemmæ & margaritæ, ac monilia, id sunt vxoribus ibi stigmata & liuores in fronte. Hic est illorum honos, hæc gloria: quin & indubitabilis maritalis amoris & pietatis tessera. Quare plagi ornatae in publicum prodeentes gloriantur, & tanquam Spartana indoles, vibicibus triumphant; tantoque aliqua meliore loco, apud maritum, esse creditur, quanto fugilatior comparet. Ex ictu enim suffusis cruento oculis, & facie contusâ liuidis maculis, nulla ibi fæmina debonestatur, neque censetur ad contumeliam os præbuisse, sed amantissimè palpata esse. Inde est, quod è terra Germania, ijs in terris, cum quidam eiusmodi feminam sibi matrimonio junxit, eamq; vnicè amaret, diu tamen animaduertisset singularem quandam mœstiriam corpore & animo præferre, rogauerit mali cauſam. Cui vxor ingenuè fassa est, id sibi malè esse, quod coniugalis amoris insignia nulla, quemadmodum aliæ minorum maiorumque gentium matronæ vultui inscripta incussaque in publicum afferret: pudere se, os ostendere, sine patro ornamento. Maritus, ut à seria hæc mente proficisci sensit, blandè vxorem solatus, bono eam esse animo jussit, liberaliter pollicitus, effectum fese, vt imposterum non tantum visu pollentes contemplari eas tam desideratas dilectionis notas, sed etiam lumine cassi manibus palpare possint. Moxque, non ea duntaxat hora, sed nullo non alio die statu dimenso illam inclemetissimè depalmauit, pugnis & colaphis atrocissimè adobruit, vt in oculos hominum proditura, nihil nisi tuber, immò merum pus & vlcus esset; & exenterati canis liuidum simulachrum, concretis à tabido cruento grumis, repræsentaret. Enim uero hac sauitie non modò offensa non est, sed immortales viro habuit gratias; omnemque mulierum chorum, effracto lacerto, tumido oculo, eliso dente, elumbi femore, claudo pede, ad tot actam illustria

amoris

amoris decora prouocavit. Imitetur hunc morem, qui eum vel ipse quoque experiri. Barbara est vxor, & sic tractari digna, quæ sic cupit tractari. Bona indoles, vno bono verbo, quin centum verberibus melius mitigatur.

X.

Non negauerim tamen aliquando & manu rem gerendam esse, præsertim si & vxor manibus utatur, & prior verberans maritum prouocet ad duellum. Indignus est, qui vir vocetur, velut ligatis manibus stat & tremit, ante vxorem identiter alapas sibi ingerentem, supplexque rogat sibi ignosci, & non hanc unicam noxiæ condonari. Insolentior fit omnis mulier, quæ videt virum, se irascente, trepidantem. Monstri loco habet apud Liuium, Cato fastum illum mulierum Romanarum, cum ait: *omnes homines vxoribus dominantur, nos omnibus hominibus nobis autem uxores.* & alio loco, ait idem Cato: *Maiores nostrorum laici ne priuatam quidem rem agere feminas, sine auctore voluerunt, sed in manu esse virorum.* Quod plane etiam S. Paulus vult. Et enim de caulla scribit: *Mulieres subditæ estote viris, sicut opa in Domino, hoc est, sicut secundum Christi Domini legem, voluntatem & Euangelium decet.* Quod si ergo femina legem hanc euertit, quid mirum est, si & viri alia lege utuntur? Quia quam non necesse est, ut ad verbera veniatur, & liuorem vulnus. Multa vitia ingeniosi viri vxoribus, sine baculo aut fuste, distracterunt. Maritus quidam quotidie obstrepentem vxorem suam amplius cum non posset, *Rogo te, dixit, mea vxor, per quidquid tibi charum ac sacrum est, desine aures meas post hac obtundere. Inquit nisi mihi parueris, efficiam profecto, ut & te nimium quantu[m] sustundi feras egerrime.* Quasi ut id faceret intentius, visa est hoc matrimonium mulier accepisse. Igitur cum finem jurgandi nullum faceret, sed omnibus eius gressibus, omnibus negotijs intergarriret, singula carpens, singula aliter aliterque aggredienda edicens, tota vicinia & viri patientiam, & feminæ insolentiam admirante, tandem animum commasculans, dolium ingens & multarum virnarum capax in medium plateam prouolui jussit. Quod conficeret, quia illa dispicere, apud se, non satis potuit, nec quidem sibi res veller diuinavit, ad mores suos reuersa cœpit in eundem jacere, imperium exercere, clamare, populo ad vociferatio-

Liu. dec. 4.  
lib. 4.  
Liu. lib. 34.

Coloss. 3.18.

nes yndique concurrente. Cūm ergo iterum, iterumq; monita  
os non comprimeret, cum magis magisque semper contenderet,  
annuit maritus victoribus seu doliarijs, ad id iam antea clam  
constitutis. Signo accepto, robusti illi medium correptam in  
dolum conjecerunt. Ibi illa, ad Regulij modum, inclusa, vix  
cūm subsiliret, oculis potuit eminere; & tamen velut è cathedra  
cœpit vocalissimè detonare in maritum. Eo igitur alterum sig-  
num dante, vietores per circulum ambientes malleis tudiculis  
que dolium, vsque ad insaniam mulieris, contuderunt. Illis pul-  
satione longa fatigatis successerunt pueri, qui cauum dolium  
faxis cædentes, non minore strepitu, quam clamore, in tertiam  
vsque horam, omnia compleuerunt, sarcasmum acerbissimum  
addentes, atque præ indignatione insanientem identidem Dio-  
genis uxorem vocantes. Mulier, seu furijs ageret, seu prece,  
rupta intus est propemodum, quod ex hoc gurgustio emergere  
prohiberetur, donec maritus spectaculo saturatus in cauponam  
concessit. Tunc enim & capta dimissa est, bono operæ pretio do-  
liarijs persoluto. A dolio recta cucurrit post maritum, atque  
in cauponam se intulit, inflammatoque vultu spumans solitis  
iam Diris in maritum erat debachatura, cūm repente combi-  
bones, quod erant edocti, fecerunt. Ita enim symptomas insti-  
tuerat maritus, ut si, quod fore augurabatur, illa irrumpens po-  
tantibus superueniret, illi sine intermissione, cantharorum o-  
perculis identidem deblaterantem obtundérent. Hoc strepitu  
igitur obstrepenrem abegerunt. Non ausa est, tam strenuè ex-  
plosa ad hospitium reuerti. Ibi ergo maritus ad tertium vsque  
diem triumphauit. Pecunia deficiente, domitionē parauit, sed  
non sine defensoribus & comitatu. Septem erant, & crapula  
adhuc nondum decocta, semiebrij. Hi omnes, sub pallijs, crepi-  
acula tulere. Excepti sunt, vna cum reduce patrefamilias, for-  
mula sollenni. Ibi nouum certamen extitit, nam illa nouum  
negotium facessente, & domum totam clamoribus implente,  
illlico crepiraculorum assidua complostone, ex insana reddide-  
runt insatiorem, atque ex ædibus fugarunt, vtique non reu-  
candam, nisi illa, imploratis cognatorum patrocinij, veniam  
imperasset: quam tamen ei maritus antè non dedit, quam se  
A a a posthac

posthac Angeronam fore spopondit. Addiditque, ni lingua cohiberet, se rectis incudem illaturum, quam quatuor fabri ventissimi sonantissime tunderent; simulque disertis verbis denunciauit, nisi silere disceret, se liberali mercede cum amis omnibus transacturum, ut quoties, ipsa altercante, signum accepissent, omne æs Campanum, per totam urbem, conceraret; atque in hunc modum nemini omnium non constaret, vxorem suam iterum esse in fermento, iterum ferocire, iterum intemperijs agitari. His artibus tandem edocta silentium saltare potius habuit, noxia atque importuna garrulitate & nimis Sine plagis ergo domuit bestiam hanc, & plus effecit dolium, verberando, cantharisque & crepitaculis complodendis, quin si illa vapulasset. Plus etiam & illa tacendo, quam obstrependo effecit, juxta consilium, quod quidam vir prudens dedit matronæ dicens: *Si vis imperare viro, pareas: bona enim mulier paro viro, imperat; & gratior est, si pareat, quam si pariat.* Ita, cets Dione, Liuia Augusti Cæsaris vxor interrogata, quibus rationibus Augustum sibi subjecisset, respondit: *Multâ modestiâ, scilicet quod ea, quæ placerent Augusto, faceret libenter; quodque si scire dissimularet, quibus ille vitijs implicaretur.* Habent ergo & hinc feminæ remedium, quo viros suos sanent, reddansque sibi obsequentes.

Dion. in Ti-  
berio.

XI. Atque hoc est illud, quod præmiseram consilium, vt Exemplum bone, maritus etiā sibi vxorem faceret bonā. Ut enim Reg ad exemplū totus componitur orbis, ita ad exemplum patris familiās & vxor, & liberi, & famuli, & ancillæ componuntur. C. Aristot. lib. i. tè AristoTeles inter Oeconomica præcepta hæc ponit: Eximare debet mulier bene composita, mores viri esse legem vita sua, impositam sibi à Deo, per coniunctionem matrimonij. Qui hec negligit, Deos ipsos videtur negligere, quibus presentibus sacra facta, o matrimonium init. Quem in sensum etiam D. Anselmus illud. Coloff. 3. 18. Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet in Domino, ita interpretatur, vt mulieres subditæ sint viris, sicut decet subdi ea, quæ Christo coniunctæ profitentur se sequi Christi modestiam, militatem, obedientiam, quam in Christianismo didicerunt. Ephes. 5. 22. Et, alio loco, ait Apostolus: *Mulieres viris suis subditæ sint*, sicut Domini.

*Domino*, id est, ut quidam exponunt; mulieres obdiant viris, quasi Dominis suis. Hoc enim pacto Sara Abrahamum maritum dominum vocans ait: *Dominus meus vetulus est*. Sed rectius alii aiunt, non dictum esse sicut dominis, sed, sicut *Domino*, id est, Christo, cuius locum & personam viri repräsentant. Si ergo viri locum & personam Christi repräsentant, debent amorem Christi erga Ecclesiam, & mores optimos exprimere, ut exemplo coniuges trahant ad virtutis imitationem. Quod vbi fecerint, tales habituri sunt vxores, quales ipsi sunt. Quid concurrunt contra linguas vxorum; si ipsi opere sint mali, cur mulieres non sint malæ verbis? Si malis bona verba darent, laudare delinquentes viderentur. Qui non vult morderi, canem non irritet. Denique si agnus es, & vxor tua tigris, Iobum imitare, qui vxorem suam, licet stultam, non loris, sed verbis castigavit; eiusque malitiam patientia vicit. Sed his omnibus remedij, vtique consultius est, ante nuptias cauere, ne incidas in Sirenum, aut Chimæram. Ignis aspectu delectat, sed, si proprijs accesseris, vr̄it. Ita sape, in femina, quod fulget, calet, neque raro.

Gen. 18. 12.

*Quod pulchrum esse vidēs, noueris esse nocens.*

Cūm enim inter feminas bona quidem sint, sed & malæ, & plures profectò malæ, verum est, quod Susarionem dixisse, refert Stobæus: *Malum esse, vxorem ducere, & non ducere.* Atque hæc prima electio est: *ducere ne velis, an non ducere?* Altera adhuc periculosior, *qualemne sis ducturus?* formosam, an deformem? diuitem an pauperem? bonam vtrique, sed periculum subest, ne deprehendas malam. Quid igitur agendum? Deus per preces audeundus: os Domini constilendum; interrogandi viri prudentes, qui ex multis te ambagibus educent: sicut Pittacus fecit sciscitatus ex quodam, cur vxorem nō ducere veller? qui cūm respondisset: *Quoniam si formosam duxero, habiturus sum communem; si deformem, penam.* Hand quaquam, dixit Pittacus: *Sed si pulchram duxeris, non eris tibi pena: si deformem, non habebis communem.* Idem dici potest de alijs: si diuitem duxeris, carebis inopia; si pauperem, carebis domina: Si bonam naclus fueris, exemplum habebis; si malam, exercitium. Equi-

XII.

Stobæus  
l. c. m. 69.

A a a 2 tantem

tantem in arundine puerum, quidam interrogavit. An uxori ducere deberet pauperem? Cui puer dixit: *Quod tu vis.* An diuitem? *Quod illa volet,* ait. An ipse senex iuuuenem? Tum arundinem flagello percutiens dixit puer: *Hieret dich!* mein Pfarrschlägt dich: *Cane tibi, à meo equo, ne te percutiat.* Hæc puer sponsa pro oraculis habuit Delphicis; ratus, Si pauperem ducet, eam facturam, quod ipse vellet: si diuitem, sibi faciendum esse, quod illa vellet: si iuuuenem, cauendum esse, à calcitratu.

## XIII.

2. Cor. 12. 7.

Ad extreum vult Deus, nos sine cruce non esse, siue liberos, siue coniugatos. Liber erat Paulus, & tamen dicebat: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satana, qui me colap-* zet. Datus non à diabolo, sed à Deo permittente diabolum tentare, & velut stimulo exagitare me, non persecutionibus tantum, sed etiam concupiscentia motibus ac libidinis tentatione; quæ stimuli instar, aut teli, vel aculei est carni nostræ fixa adeò, vt in hac vita, sine miraculo, non euellatur. De coniugatis loquitur ita: *Si nupserit virgo, non peccauit: tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.* Quam tribulationem! Vxoris malæ, mali mariti; aut, si isti boni sunt, tribulationem coniugij ipsius, tribulationem liberorum, tribulationem & onera familiæ; quibus tribulationibus ita voluptas coniugii compensatur & eliditur, vt à multis sapienter contemnatur. *Mox enim à conceptu subeunt fastidia, insomnia, vertigines, melancholia, præcordiorum angustie, absurdus appetitus, & naturæ uitius perturbatio.* A liberis autem quæ non nascuntur crucis? Familia denique, serui, ancillæ, operarij quæ negotia non cessunt? *Nos ignari rerum,* inquit S. Hieronymus, *putabamus nuptias saltem carnis habere latitudinem.* Si autem nubentibus etiam in carne tribulatio est, in qua sola videbantur habere delicias, quid era reliquum propter quod nubant, cum & in spiritu, & in anima, & in ipsa carne tribulatio sit? Itaque, in nullo vita huius statu, nobis omnino bene & beatè est; erit, cùm veram beatitudinem consequemur. Ad quam appetendam vt accendamur, velut flammarum nobis subdit, siue intra, siue extra matrimoniumq; nis tribulationum. Quas proinde tribulationes paulo diductis prosequemur. *Sunt enim teste S. Chrysostomo, in connubio &*

S. Augustin.  
lib. de sanct.  
Virginit. c. 16.

*Si nupserit virgo, non peccauit: tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.* Quam tribulationem! Vxoris malæ, mali mariti; aut, si isti boni sunt, tribulationem coniugij ipsius, tribulationem liberorum, tribulationem & onera familiæ; quibus tribulationibus ita voluptas coniugii compensatur & eliditur, vt à multis sapienter contemnatur. *Mox enim à conceptu subeunt fastidia, insomnia, vertigines, melancholia, præcordiorum angustie, absurdus appetitus, & naturæ uitius perturbatio.* A liberis autem quæ non nascuntur crucis? Familia denique, serui, ancillæ, operarij quæ negotia non cessunt? *Nos ignari rerum,* inquit S. Hieronymus, *putabamus nuptias saltem carnis habere latitudinem.* Si autem nubentibus etiam in carne tribulatio est, in qua sola videbantur habere delicias, quid era reliquum propter quod nubant, cum & in spiritu, & in anima, & in ipsa carne tribulatio sit? Itaque, in nullo vita huius statu, nobis omnino bene & beatè est; erit, cùm veram beatitudinem consequemur. Ad quam appetendam vt accendamur, velut flammarum nobis subdit, siue intra, siue extra matrimoniumq; nis tribulationum. Quas proinde tribulationes paulo diductis prosequemur. *Sunt enim teste S. Chrysostomo, in connubio &*

S. Chrys. l. de  
Virginit. c. 52.

alia innumera molestia, quas nemo poterit omnino vitare. Sicut enim cùm in dumeti transitu, spina alicuius vestibus adhaerent, si is, ut una vellat, in aliquā se conuerterit partem, multis alijs pungitur; sic in re vxoria, qui hoc effugerit, leditur illo: qui vero illud evaserit, ad aliud offendet. Nullum denique omnino molestia expers repertis coniugium.

## C A P V T XXXI.

Primum Matrimonij bonum, seu fides coniugalis, quanta perfidia, quantisq; adulterijs infestetur?

 Stendi supra, ex D. Augustino, tria esse bona, quibus coniugium honestatur acceptiusque redditur; *Fidem*, *Prolem*, *Sacramentum*. De quibus illud intelligi potest:

Honorabile coniugium in omnibus; quae coniugis sunt, scilicet, siue *Fides*, siue *Proles*, siue *Sacramentum* spectetur in eo. Item in omnibus, hoc est, apud omnes, etiam illos, qui virginitatem profitentur; neque enim & illi debent coniugium reprehendere. Non enim hoc malum, quia melior virginitas: quae etsi optima est, tamen & coniugium bonum est, habetque bona illa tria peculiaria. Quid si tamen hæc ipsa bona grandibus malis vitiantur? vt ad matrimonium dici possit: *Si ergo lumen, quod in te est, tenebra sunt: ipse tenebra quanta erunt?* Nam quoties, in matrimonij, nulla *Fides*, nulla *Proles*, nullum *Sacramentum*, quia & nullum sæpe matrimonium, nisi putatum? Atque, vt de fide primò loquamur, quis nescit, non esse multas Susannas, non multas Lucretias, aut Penelopas? nec multas Saras, quæ maritum *Dominum* soleant appellare? Plurimas autem, quæ Putipharis vxorem, quæ Helenam, quæ Messalinam insatiabilis libidinis feminam, quæ Vasthi reginam, superbum animal imitantur? Nullum satis magnum foret volumen, in quo adulteræ, adulterique omnes possent enumerari. Nam neque viri omnes sunt sancti. Quod Ariadna illa questa, cùm, in insula, à Theseo exposita relinqueretur, apud Poëtam, dixit:

*Iam nunc nulla viro juranti femina credat,  
Nulla viro speret sermones esse fideles.*

A a a 3

Promit-

31  
Polydoreus  
Seneca in  
Iup. Cœl.

qua di nobis!  
ni. nihil.  
I.  
S Aug. lib. 9.  
in Gen. c. 7.  
Hebr. 12. 4.  
Fulgent. l. de  
fide ad Petr.  
cap. 3.

Matth. 6. 23.

Gen. 12.

Esther. 1.  
Sueton. in  
Claudio. Ta-  
cit. lib. II.

Carull. de  
Nuptijs Pelei  
& Thetidis,